



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectae

**Sandini, Antonio**

**Bambergae, 1753**

XII. S. Anicetus. Anno Christi 167. M. Aurelii & Veri Imperat. 5.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65446](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65446)

(2) Ille lib. 2. contra Parmenianum §. 3. hic epist. 53. aliàs 165.

(3) Arnaldus Pontacus in Chronicon Eusebii pag. 615.

(4) Sulpicius Severus lib. 2. Hist. Sacrae cap. 31. *Quarta sub Hadriano persecutio numeratur*, quam Hieronymus epist. 84. vocat *persecutionem gravissimam*. Plerique tamen scriptores eam prætermittunt; puto, quod nullum in Christianos edictum Hadrianus promulgaverit, ut ex Tertulliano in Apolog. cap. 5. docet Baronius ad an. 120. §. 3. Orosius lib. 7. cap. 27. quartam facit, quæ sub Aurelio & Lucio Vero agitata est. Eusebius in præmio lib. 5. Hist. Eccl. scribit, eâ sæviante *ex incursione popularium, innumerabiles prope martyres per universum Orbem emittisse.*

## XII.

## S. ANICETUS.

ANNO CHRISTI 167.

M. AURELII &amp; L. VERI IMPERAT. 5.

Bar. an. 167. §. 4. **A** NICETUS Syrus. Hic, teste auctore Libri Pontificalis, constituit, ut Clericus comam non nutriret §. 2. 3. secundum præceptum Apostoli, (1) & referente Eusebio lib. 5. Hist. Eccl. 173. §. 3. cap. 24. contentionem de celebratione Paschæ habuit cum Polycarpo S. Joan-



Joannis discipulo, Episcopo Smyr-  
næorum. Hic enim Romam cum  
venisset, ut cum Aniceto ageret de  
die legitimo Paschæ celebrandi, con-  
tendebat juxta morem receptum ab  
Asianis, Pascha celebrandum esse  
Lunâ quartâdecimâ Martii, in quem-  
cunque hebdomadæ diem incidere:  
Pontifex verò agendum esse die Do-  
minico, qui proximè sequitur Lu-  
nam, quartâdecimam post vernalium  
Æquinoctium illucescentem. Suam  
uterque sententiam tuebatur Tradi-  
tione Apostolicâ, alter quidem à  
D. Petro acceptâ, alter verò ab Ev-  
angelista Joanne, ut agebat, deriva-  
tâ. (2) Quamobrem cum inter se  
convenire non potuissent, re non-  
dum satis discussâ, ab suscepto cer-  
tamine dissidentibus quidem senten-  
tiis, amicis tamen animis, discessê-  
re. *Et Anicetus, quemadmodum sub-  
dit Eusebius in Ecclesia consecrandi mu-  
nus Polycarpo honoris causâ concessit.*  
Utrumque sustulit mors præclara,  
Polycarpum VIII. Kal. April. anno  
169. Anicetum XV. Kal. Majas an-  
no 175. Pontificatûs desinente octa-  
vo. Cæterum, ut est apud eundem  
Eusebium, neque Anicetus, neque



ejus decessores Pius, Hyginus, Telesphorus, Sixtus, Asianorum morem unquam observarunt, aut iis, qui cum ipsis erant, ut observarent, permiserunt.

### ANNOTATIONES.

(1) Gregorius Turonensis lib. 1. De Gloria Martyrum cap. 28. tom. 11. Bibl. Patr. pag. 838. *Petrus Apostolus ad humilitatem docendam caput desuper conderi instituit.* Vide Baronium ad an. 58. §. 122. & seqq.

(2) Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. 23. Asianorum morem appellat nomine *παράδοσεως ἀρχαιότερας Traditionis antiquioris*, quo designari potest vetus qualibet Ecclesiae consuetudo, quamvis non accepta ab Apostolis: Romana verò aliarumque *totius Orbis Ecclesiarum disciplinam* nominat vocabulo *Ἀποστολικῆς παραδόσεως, Apostolicae Traditionis*. Hinc apparet, non illam, quâ Polycarpus, sed illam, quâ nitebatur Anicetus, veram fuisse Traditionem. Qua de re nullus jam residuus est ambigendi locus, cum Nicæna I. Synodus, utraq̃ consuetudine diligenter examinata, decreverit, Pascha celebrandum esse die Dominico proximè sequente Lunam quartam decimam in ipso, vel post ipsum Æquinoctium Vernali affulgentem. Vide annotat. 2. ad Victorem I.

